



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

II. De causalitate causæ materialis & formalis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

CAPVT II.

De causalitate causæ materialis, & formalis.

4. **M**ihi semper placuit cum Fonseca lib. 5. Metaphys. cap. 2. quæst. 1. sect. 4. & quæst. 2. sect. 2. & Conimbricensib. hic cap. 7. quæst. 8. art. 1. causalitatem materialem, siue passionem, qua subiectum formæ alicui subest, eamque intrinsicè sustentat, atque in genere causæ materialis causat, esse vnionem, qua ita vnitur formæ, eamque intrinsicè perficit, vt hæc absque illo naturaliter esse, aut conseruari nequeat. Probatur autem: quia si causalitas causæ materialis siue passio in prædicta vnione non consisteret, maxime quia in actione eductiua: at non in hac: igitur in sola vnione, prout à quauis distinguitur actione, siue effectiione. Maior est aduersariorum, qui passionem, siue causalitatem causæ materialis collocant in actione productiua, siue effectiua formæ; in actione, inquam, eius genij, vt se ipsa sit vnio sui ad subiectum, in quo forma sit fulcipienda. Minor autem elucefcet infra lib. 3. tract. 3. cap. 3. cum actionem eductiuam à passione, siue causalitate causæ materialis realiter distinguere probauerimus. Secundò suadet eadem sententia: quia omnis alia causalitas passiuæ præter vnionem, qualem superius explicuimus, est inutilis, superflua, & absque vlllo fundamento solido conficta, vt solutione argumentorum, quæ in contrarium obijci solent, iam iam ostendo.

5. Obijciens igitur primò: si vnio materiæ cum forma esset causalitas materialis, siue passio materiæ respectu formæ; sanè eiusmodi vnio esset ordine naturæ prior, & posterior, quàm forma. Consequens autem est absurdum, vt constat ex dictis superius tract. 4. cap. 2. Sequela probatur, quia in primis esset prior natura suo termino, vt citat. lib. 5. tract. 1. cap. 2. constabit: deinde esset posterior natura, quàm forma: siquidem ideo à priori datur vnio formæ cum materia, quia forma existit: non verò ideo forma existit, quia vnitur materiæ: igitur forma est prior natura, quàm eius vnio cum materia: ac proinde vnio est posterior, quàm forma.

6. Obijciens secundò: si materia per vnionem in genere causæ materialis formam causaret, etiam ipsam vnionem per semet ipsam materialiter causaret: haud secus ac causa efficiens, quia per actionem effectiuam producit terminum, etiam ipsam actionem per semet ipsam producit: at materia vnionem per vnionem ipsam materialiter non causat: ergo &c. Minor probatur: quia vnio diuinitus creari potest (quæ enim repugnantia in hoc esse potest) ac proinde sine dependentia à subiecto produci potest: quod si per se ipsam essentialiter in genere causæ materialis à subiecto dependeret, & hoc illam causaret; sanè sine hac dependentia produci; aut, quod perinde est, creari ne diuinitus posset. Obijciens tertio: si vnio esset causalitas materialis, siue passio; qua forma à materia penderet, prius natura forma, à causa efficienti, quàm à causa materiali in actu secundo penderet. Consequens est absurdum: ergo &c. Maior probatur: quia prius natura forma à causa efficienti producit, quàm materiæ vnitur; cum ideo vnitur, quia efficienter producta est: atque

adèd si per vnionem à causa materiali penderet, prius natura à causa efficienti, quàm à materiali penderet. Minor probatur: quia forma nequit intelligi existens, nisi dependenter ab omnibus suis causis ab ea præ requisitis, vt ex terminis notum videtur: igitur nequit intelligi existens in vno signo natura dependenter ab vna causa, & in alio posteriori ab alia causa; seu, quod perinde est, prius natura dependens ab vna causa, quàm ab alia.

7. Obijciens quartò: si causalitas causæ materialis, siue passio in vnione prout à nobis explicata consisteret; sanè Verbum diuinum in genere causæ materialis causaret vnionem hypostaticam, eamque sustentaret, & pateretur: consequens est absurdum: ergo, &c. Maior perspicua est, quia vnio hypostatica intrinsicè vnitur Verbo; ita vt sine eo esse, aut conseruari naturaliter; & quod plus est, diuinitus nequeat: igitur non est, cur Verbum eam in genere causæ materialis non sustentet, si in eiusmodi vnione causalitas materialis collocetur. Minor probatur: quia omnis causalitas materialis, siue passio coniuncta est cum mutatione eius, quod patitur, & causat materialiter aliud à se distinctum: at Verbum diuinum omnis mutationis, & vicissitudinis expertus est, vt fide sanctum est: igitur & omnis passionis, siue causalitatis materialis: ac proinde vnionem hypostaticam pati, aut materialiter causare non poterit. Obijciens tandem ea, quæ adduci solent ad probandam passionem, siue causalitatem materialem ab actione eductiua realiter indistinctam esse: quæ sanè plura, & non facilia sunt.

8. Ad primum respondeo: causalitas materialis, siue passiuæ materiæ respectu formæ à nobis in vnione collocata, est prior natura, quàm forma; non quoad esse formæ, sed quoad eius inesse, nimirum quoad denominationem vnitæ, quam intrinsicè & essentialiter constituit, causatque: est vero posterior ordine naturæ, quàm forma quoad esse formæ, vt obiectio facta conuincit: quare penes aliud, & aliud, non verò penes idem est prior, & posterior natura, quàm forma; in quo nulla est repugnantia. Dices tamen: sicut materia est prior forma quoad inesse formæ: idque satis est, vt absolute dicatur materia causa passiuæ formæ, eaque prior: ita similiter forma est prior materia non secundum se, sed secundum eius subesse, siue quoad vnionem, qua materia formæ subest: cur igitur forma non dicitur absolute causa formalis materiæ, eaque prior: iam ergo mutua prioritas toties à nobis impugnata in rebus concedenda est. Respondeo in primis, non inconuenit formam etiam dici causam formalem materiæ in sensu posito: ac per consequens materiam ac formam mutuo se priores, ac posteriores natura esse, non penes earum esse, sed penes earum inesse, & subesse. Hoc enim quid aliud est, quàm ambas esse priores vnione, qua copulantur? Quod autem alibi diximus, formam esse causam formalem solius compositi, non verò materiæ; id certè de materia quoad eius esse præcisè intelligendum est. Præterea responderi aliter potest, esse cur materia absolute dicatur causa formæ, eaque prior potius, quàm forma materiæ, causa, eaque prior: siquidem vnio per quam dicitur forma in esse, est etiam forma quædam: vnde materia cum sit causa formæ substantialis quoad illam vnionem, siue in esse: certè censetur causa formæ substantialis

stantialis secundum esse aliquid formale illi additum, siue prout est forma completa: at verò vnio per quam materia dicitur subesse formæ, non est materia: vnde quamuis forma sit causa materiæ quoad illam vnionem, siue quoad subesse, non propterea erit causa materiæ quoad esse aliquid materiale, siue prout materia est, sed potius quoad esse formale, siue materiæ quoad formam aliquam additam: quod satis non est, vt absolute dicatur causa materiæ.

9. Aliter etiam solui potest primum illud argumentum contrarium, ac valde probabiliter dici, causalitatem materiale, qua materia causat formam, non suscipi in vtroque extremo, sed esse in sola materia, & priorem essentialiter forma: ac proinde materiam esse propriam causam non solum compositi, verum etiam formæ secundum se, siue penes eius esse. Itaque vnio, in qua eiusmodi causalitas materialis à nobis collocatur, reuera suscipitur tanquam in subiecto in materia duntaxat, & non in forma: quin potius respectu huius erit essentialiter prior, & non posterior: quam doctrinam problematicè defendi supra lib. 2. tract. 7. cap. 5. Porro autem huic posteriori solutioni nostræ non obstant causales supra obiectæ, nimirum ideo forma vnitur, quia existit: non autem ideo forma è contrario existit, quia vnitur materiæ: siquidem ita comparatæ sunt, vt prior earum atque affirmatiua, sit vera à posteriori, & falsa à priori: posterior verò, & negatiua è conuerso sit falsa à posteriori, & vera à priori. Quod autem communiter opponi solet, vnionem non posse necipi in forma, propterea quod ita intrinsecè afficiat, & perficiat illam, vt sine ea nulla: epus esse, aut conseruari possit; quod ad receptionem, & causalitatem materiale sufficere videtur, vt exemplis accidentium omnium constat: hoc, inquam, opponi solitum facile dilui potest, si dicamus ad causalitatem materiale non sufficere, quod proximè premissum est, sed vltèrius requiri, vt id quod subiectum necessario afficiat, ac perficiat; eo sit posterius in præuisione diuina: quamuis enim hanc posterioritatem supra lib. 2. tract. 1. cap. 5. negauerimus esse necessariam ad subiectum denominationis; at probabile est aliter philosophandum esse, si sermo sit de subiecto inhætionis, siue causalitatis materialis.

10. Ad secundum argumentum contrarium respondeo, vnionem ne diuinitus creari posse, idemque dicendum esse de reliquis modis, vt ostenditur infra lib. 5. tract. 2. cap. 6. & quidem oppositum ab aduersariis non probatur, nec potest. Ad tertium respondeo; formam, aliūve quemuis effectum posse prius prioritate naturæ dependere ab vna causa, quam ab alia: sicut omnium consensu effectus prius prioritate dignitatis ab vna causa, quā ab alia pendere potest: nec verò effectus in quouis instanti naturæ dependenter ab omnibus suis causis, & requisitis existens intelligi debet; sed satis est, vt in quocunque instanti reali existat in eo dependenter ab omnibus causis ad eum requisitis existat. Ad quartum respondeo, ad rationem causalitatis materialis opus esse, vt ea subiectum intrinsecè perficiat, & compleat; & hanc conditionem in definitione causalitatis materialis subaudiendam esse: cum ergo Verbum diuinum, eo quod infinite perfectum, & completum sit, per vnionem hypostaticam à se realiter distinctam intrinsecè perfici, &

compleri nequeat; sanè eam pati, aut in genere causæ materialis sustentare non poterit. Aut dicito, Deum causare in genere causæ materialis vnionem hypostaticam absque vlla tamen mutatione sui, eo quod ab illa de nouo intrinsecè perfici, aut compleri nequeat: quod enim causare aliquid in genere causæ materialis imperfectiorem, aut mutationem ex genere suo non arguat, atque adeo actu, & re ipsa Deo conueniat, expressè docet Pater Fonseca lib. 5. Metaphys. cap. 2. quæst. 12. à sect. 2. Ad vltimum argumentum contrarium inferius lib. 5. tract. 3. cap. 3. fiet satis.

Haftenus de causalitate materiali, siue passiuæ materiæ respectu formæ: quod autem attinet ad causalitatem materiæ, qua materia compositum constituit, ferè omnes censent eam esse vnionem, qua formæ vnitur: Verum distinguendum est: aut enim comparatur materia cum toto per accidens, quod constituit; & causalitas materialis, quæ huiusmodi totum causat in vnione eius cum forma accidentaria sita sit: quum implicet, materiam huic numero formæ accidentariæ albedini verbi gratia, vniri, quin hoc numero album ex iis resultet; eo quod hoc numero album in hac materia, hac albedine & hac vtriusque vnione essentialiter consistat: igitur vnio materiæ cum forma ob eiusmodi connexionem, & determinationem causalitas materiæ respectu totius per accidens censenda est. Aut comparatur materia cum toto per se, & substantiali: quod ex eo, & forma resultat; & respectu huiusce totius causalitas materialis, vnio materiæ non cum forma, sed cum ipso toto, à quo realiter distinguitur, censeretur: cum enim possint existere in rerum natura hæc numero materia, & hæc numero forma, earumque hæc numero vnio, quin ex iis hoc numero totum substantiale, & per se verbi gratia, hic numero homo resultet; sanè in eiusmodi vnione talis resultantia, siue causalitas materialis collocanda non est; ac proinde in sola vnione materiæ cum ipso toto debet collocari. Quo autem pacto cum hac doctrina cohæreat, totum substantiale & per se non generari, sed creari constabit inferius lib. 5. tract. 2. cap. 6. Ex dictis intelliges, quid dicendum sit de causalitate causæ formalis: siquidem respectu totius per accidens, à quo tantum in adæquatè distinguitur forma, non est assignabilis alia causalitas,

quàm eius vnio cum subiecto: at totum substantiale, & per se causat per vnionem sui, non tam cum subiecto, quàm cum eiusmodi toto, vt proximè dictum, declaratumque est in simili.
